



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 14. Ad quid teneatur Cajus, qui est quidem causa damni, tamen quamvis ipse non fuisset causa, idem damnum ab alio fuisset causatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

Quod autem dictum est de custodibus nemorum, valet etiam de aliis, v. g. de apparitoribus, qui inveniunt noctu gestantes arma contra prohibitionem poenalem; item de illis, qui permittunt defraudari gabellas & telonia: ad quid autem teneantur, qui per mendacium negant propria delicta aut aliena, vel qui per fraudem dissimulant, aut non condemnant ad poenam lege impositam, sicque fiscum privant ejusmodi multatâ, dicitur à n. 82.

49 *Q. 14. Ad quid teneatur Cajus, qui est quidem causa damni, tamen quamvis ipse non fuisset causa, idem damnnum ab alio fuisset causatum.* R. Tenetur ad totum compensandum, ita *Caj. Sor. Mol. Vasq. Less. l. 2. c. 13. n. 2. Lugo d. 19. n. 6. Ills. t. 4. d. 3. n. 177.* aliique contra *Nav. Silv. Palud. & alios.* Ratio est 1. quia est efficax causa damni illati: 2. Si ipse non teneretur, fieri posset, ut nemo teneretur, quia de unoquoque cooperatore potest esse verum, quod si ipse non intulisset, alter intulisset: itaque sicuti quivis alter, qui intulisset, contraxisset obligationem restituendi, ita contraxit Cajus reliquos præveniendo. Rectè tamen notant *Laym. & Burgh. cent. 2. cas. 69.*, eum, qui v. g. tenet scalas, si sine eo subsidio nihilominus à fure illatum fuisset damnnum, non teneri ad restitutionem, quia tantum est causa modi, v. g. quod faciliùs vel celerius furaretur.

50 *Q. 15. Ad quid teneatur, qui est causa damni, non totius, sed tantum majoris.* R. Tenetur restituere illum tantum excessum, cujus est causa, v. g. qui alicui causaturo damnnum 10. aureorum, auctor est, ut causet damnnum 15. aureorum, tenetur tantum hos quinque restituere, quia non fuit causa